



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm XVIII. Quamquam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM XVIII.

Quamquam.

SUMMARIUM.

1. In Cathedralibus ecclesiis Canonicis in re eligendi priuatis ius eligendi deuolutum est ad Papam, praterquam in casu negligentie, intra tres menses ad electionem non procedentis.
2. In inferioribus ecclesiis deuolutum est ad proximum Superiorem.
3. Canon correctorius iuris antiqui non est extendendus ultra casum expressum.

Discrimen est, quoad ius deuolutionis inter ecclesiasticas Cathedrales, & alias inferiores, siue regulares sint, siue seculares, quod in his, si Capitulum quacunq; ex causa eligendi facultate priuatum sit, eligendi potestas ad proximum Superiorem deuoluatur: At vero in Cathedralibus distingui debet, utrum priuatio accidat propter eligendi negligentiam, siue si Canonicis Cathedrales intra tres menses eligere intermittent, tum electio deuolutum est ad proximum Superiorem eius ecclesiæ, videlicet ad Metropolitanum: sin autem ob aliam causam eligendi potestate priuati sint, ut quia indignum elegerunt, vel formam electionis vitiarunt, tum deuolutio fit ad Papam. Ita hinc respondit Bonifacius VIII. Pontifex.

Pro maiore intellectu aduertit hic Gl. ver. deuolutur, Secundum antiquum ecclesiæ morem prouisione Episcoporum, & Archiepiscoporum spectare ad Sum. Pontificem, ut colligitur ex c. 1. d. 22. c. porr. 4. c. Salomonianæ 24. d. 63. c. passoralis 7. q. 1. Inferiorum autem ecclesiistarum Prælatos, nisi specialiter exempti sint, ab Episcopis instituti: Ita tamen, ut secundum eosdem sacros canones, electio Prælati ad cuiusque ecclesiæ Collegium, seu Capitulum spectet, ut dixi in c. r. extra hoc tit. Quare mirum non est, si Capitularibus ob quamcunque causam eligendi iure priuatis, institutio Prælati ad eum

Superiorem deuoluatur, ad quem de iure confirmatio eius pertinet; videlicet. Si Cathedralis ecclesiæ Canonicæ priuati sint, ad Sum. Pontificem; Sin vero Capitulares inferioris non exemptæ ecclesiæ priuentur, deuolutio fiat ad Episcopum. Et ita absque discrimine obseruatum fuit etiam tempore Innoc. III. qui in c. dilectus 12. de concess. præbendæ, respondit, irritam esse prouisionem Episcopi, quam Metropolitanus attentauit, quasi ad ipsum propter negligentiam Capitularium potestas deuoluta sit, cum talis deuolutio ad ecclesiæ Cathedrali ad sedem Apostolicam fiat.

Verum postea in Concilio Lateranensi sub eodem Innoc. can. 23. quod est, c. ne pro defectu, 41. extra hoc tit. concessum fuit, ut etiam a Cathedralibus ecclesiis ad Metropolitanum deuolutio fiat ob negligentiam Capituli intra tres menses ad electionem non procedentis. At vero in alijs casibus Capituli priuati seruari debet ius antiquum, ut nos ad Metropolitanum, sed statim ad Papam ius eligendi deuoluatur. Et haec est mens illius Constitutionis quamquam. Circa textum huius c. duo notanda occurunt:

I. Quod canon correctorius iuris antiqui non est extendendus ultra casum expressum, ut etiam habetur l. præcipimus, in fine C. de appellat. Nam in cit. c. ne pro defectu, contius antiquum fuit constitutum, ut in casu negligentiae etiam in Cathedralibus ecclesiæ deuolutio fieret ad immediatum Superiorem, videlicet Metropolitanum: Id vero extendendum non esse ad casus alios priuationis respondit hic Bonifacius VIII.

II. Si electores indignum elegant, ipso iure priuati sunt ea vice, atque ius eligendi ad alios est Capitulo, qui electioni non consenserunt, deuolutum est: Sin autem formam electionis non obseruent, per sententiam Superioris priuandi sunt. Quare cum electio in hoc casu irrita non sit, possunt electores, antequam per sententiam priuentur, ad aliam canonicanam electionem accedere.

CAPITVLVM XVIII.